

quæ hoc postulat: sola enim quantitas continua ex indivisibilibus non componitur: quia punctum additum puncto non facit maius: quod in indivisibili discreto non contingit: & forte hic ultimus dicendi modus tutior est, & Arist. conformior, licet primus non sit improbabilis: nam appellare unitatem, quæ est principium materialis multitudinis, numerum formaliter, seu multitudinem quantitativam, non videtur consone dictum. Elige, quod malueris.

1. Conclu.

Dicendum primo. Numerus prædicamentalis non est unum per se ordinis: hæc statuitur contra tertiam sententiam, & probatur illa numerabilitas est aptitudo unitatum ad numerari, seu sunt ipsæ unitates aptæ, ut numerentur: sed tales unitates, ut sic, sunt unum per aggregationem: ergo non sunt unum per se, nec numerus: probo minorem: illa aptitudo unitatum, seu unitates numerabiles, est ipsa multitudo apta, sumpta per modum unius per se: sed implicat multitudinem sumi, ut unum per se: ergo necessario debet esse unum per aggregationem: probo minorem: quia illa aptitudo multitudinis non se habet per modum actus, & potentie, quod ad rationem unius per se requiritur, ex octavo Metaph. text. 15, ergo non potest esse unum per se diffusibile: ergo est unum per aggregationem.

Dices: quod est unum per se ordinis, & hoc non tantam unitatem requirit.

Contra: tum quia unum per se ordinis potius est ens relatiuum, quam absolutum: ergo numerus, si est tale unum per se, potius erit in prædicamento relationis, quam quantitatis: ordo enim relationem dicit. Tum etiam: quia, per vos, est unum per se: ergo in ista multitudine apta numerari, aliquid debet dari, quod se habeat per modum actus, & aliquid per modum potentie: aliud nec erit unum per se, nec erit diffusibile, nec species quantitatis: ut volunt isti opinantes: sed nihil est, quod se habeat per modum potentie, aut per modum actus: ergo non est unum per se, etiam ordinis: probatur minor: in primis, non est una unitas respectu alterius; nec omnes respectu ultimæ: nec ista cum præcedentibus ad aliam, ut ad formam totius: verbi gratia in quinario; prima unitas non est potentia respectu secundæ; nec quatuor respectu quintæ; nec omnes quinque respectu alterius de foris aduenientis; aut respectu alicuius formæ totius in illis quinque unitatibus resultantis, patet: non primum, nec secundum: quia una unitas a parte rei per accidens habet quod sit prior alia: potest enim Deus simul creare quinque unitates, quæ constituant unum quinarium, & tunc non erit ordo in illis prioris, & posterioris, a parte rei: unde si aliquis ordo datur, est per ordinem ad intellectum, & erit ordo rationis, quod ipsi negant; nec tertium potest dari: quia tunc iam esset alius numerus, nec quartum: quia tunc illa forma totius, vel distinguitur ab ipsis unitatibus, vel est idem formaliter cum illis: si primum, ergo illa erit numerus: si secundum, ergo tantum erit aggregatio quinque unitatum: igitur dicendum est numerum non esse unum per se reale ordinis.

Dicendum secundum. Numerus prædicamentalis non dicitur formaliter unum ab ultima unitate materiali; nec talis unitas est veluti forma partis illius; nec intrinsecè eius constitutionem intrat. Hæc est Doct. octavo Metaphysic. super textum decimum, & quinto Metaphysic. quæ sit, non a. contra istud: & statuitur etiam contra Auctores pro tertia sententia relatos: & probatur primo, ex Aristotel. quinto Metaph. cap. de toto, dicente: in quibuscunq; positio non facit differentiam in substantia rei, neq; in figurâ: ibi dicitur omnis, non totus, ut in liquidis, & numeris: ergo si in quinario: v. g. prima unitas fiat ultima, & ultima prima, nulla fiet differentia in substantia quinarium, quod non stare potest; si ultima unitas est forma cõpletiva, & specifica, quinarium, a qua habet unitatem: quia tunc illa transposita fieret alia forma, & ita alius numerus, quod non solum est contra Arist. sed impossibile aliunde, quod fiat aliud, & aliud absolutum, per solam ordinis positionem, & mutationem.

Secundum, omnes unitates constituentes numerum possunt esse æque primæ tempore, & natura, si simul a Deo crearentur: ergo tunc nulla esset ultima secundum se, ac per consequens a nulla, ut ultima, sumitur ratio differentie specificæ in numeris.

Dices cum aliquibus, quod erit ultima per ordinem ad numerantem, & hoc sufficit ad rationem numeri specificam.

Contra, tum, quia numerans poterit assumere hanc, sicut & illam, & sic quælibet erit materia, & forma, pro libito numerantis: tum etiam quia iam tunc numerus esset per ordinem ad intellectum.

Dices secundum. Quod erit ultima in confuso accepta.

Contra: omne constitutum determinatum necessario requirit constitutus determinatum: sed numerus quinarium est determinatum constitutum in suo esse specifico, imo individuali: ergo eius forma specifica, debet esse determinata, hæc scilicet vel illa, & non in confuso.

Dices tertio cum Araujo, quod quælibet unitas, prout apta numerari, est ultima, & posterior, & ut sic potest esse forma.

Contra: quia unitas, ut apta numerari, non est pars essentialis numeri formalis, ut in notabilibus diximus: & in hoc decipiuntur isti; tunc etiam, quia iam tunc numerus formaliter haberet esse per ordinem ad intellectum. Ac denique, quia iam pro libito posset numerans assumere hanc, vel illam.

Tertio arguitur: quælibet specifica forma intrinsecè est in materia, alioquin non fieret ex eis unum per se, si tantum esset iuxta positio ipsarum: sed ultima unitas, quæcumque illa sit, non est in alijs: ergo non est forma illarum, quæ per modum materiae se habent.

Huic argumento respondet Rubius in hoc capite quæst. sexta, quod duplex est potentia: alia Physica, quæ recipit formam per modum in formationis; & talis dicitur receptiva: alia est poten-

2. Conclu.

potentia per modum determinabilis tantum sine receptione: ut est genus respectu differentie. De prima potentia conceditur maior: & negatur de secunda, & ita est in proposito: quia unitates numeri respectu ultimæ sunt tantum potentia determinabilis. Et ultra addit iste Auctor; hanc doctrinam, & solutionem suam colligi ex Aristotel. octavo Metaph. cap. octavo, text. 15, & optime dicit: quia sicut & loci citatio: ita & veritas solutionis: nam tale caput ibi non reperitur: nam tantum quinque capita sunt ibi, & quamvis ibi textus 15, reperitur, in illo non datur doctrina, ex qua sua solutio colligatur.

Sed contra hanc solutionem sic insurgo: implicat formam realiter distinctam a materia reali componere cum ipsa unum per se; nisi in ipsa recipiatur: sed ultima unitas est huiusmodi: ergo debet in alijs recipi, & eas intrinsecè informare: quia iuxta positio unitatum non est sufficiens ad unum per se constituendum.

Nec exemplum de genere, & specie, adductum, & ab Aristotel. ibi desumptum, aliquid valet: tum, quia secundum istum Auctorem, talis compositio est per intellectum, qualis non est compositio numeri: tum etiam, quia differentia, non distinguitur realiter a genere: & idem non mirum, quod illud non informet: tum denique: quia genus, & differentia, identificantur in specie: & idem unum per se constituunt: ac vero unitates numeri, nec inter se, nec in composito, identificantur: sed actu diuisa, ac distincta manent, quarum diuisio impedit, ut una sit aliarum specifica forma.

Dicendum tertio. Numerus prædicamentalis est unum ens, per se, reale, ex genere, & ex differentia constans. Hæc statuitur contra primam, & secundam sententiam: & est expressa sententia Doctoris locis citatis in Logica hic, & in Metaphysica, quam doctrinam ibi traditam confirmat in tertio sentent. distinct. 22. ubi dubitationem suam circa hoc, quam habuit in primo distinct. 24. determinat in his verbis, littera L. Si enim homo nihil esset nisi partes unitate sibi, homo non esset unum, nisi per aggregationem: sicut nec quinarium est unitates quinque; sed est illud totum, quod resultat ex quinque unitatibus: aliter, si esset illa quinque unitates, esset unum, sicut accerbus: hæc Doctor.

Ex quibus mens Doctoris circa hoc manifestatur: ait enim, numerum esse unum, sicut hominem; & è conuerso: sed homo secundum ipsum in eodem tertio distinct. 2. quæst. 2. est unum per se: ergo, & numerus.

Apparet etiam nostrum Valeram immerito pro opposita sententia Doctorem citare; ex eo, quod in primo sentent. dubius circa hoc remanserit: tum quia ibi non erat locus proprius huius materiae; & ad determinandam veritatem Distinctionis illius, opiniones de numero recensere, sine determinatione veritatis illarum sufficiebat: ut in hoc cap. quæst. sequente ipse de Aristotele ait. Tum etiam: quia in Reportatis, licet quatuor de hoc opiniones proponat; Aristotelica, quam impugnat (quas impugnationes pro se adducit Valera) ponitur in secundo loco: & opi-

nio Magistri ponitur in quarto loco sine impugnatione aliqua: ergo ex Reportatis, potius dicitur dum est, Doctorem insequi sententiam Magistri, quam sententiam Valera: hic enim est mos suus in similibus dubijs. Tum denique si in Logica, in Metaphysica, in tertio sentent. & in tertio Report. ibidem, quæ sunt ultimo ab eo scripta, assentit, numerum esse unum per se: quare ipse Valera vult illi loco, & non istis stare? Dicendum igitur est conclusionem nostram esse expressam Doctoris, quæ probatur.

Primo auctoritate Aristotel. numerum inter species quantitatis apponentis: ut patet in hoc capite, & quinto Metaph. cap. 12. & 13. & in octavo Metaph. text. 10. comparat quidditates res ipsas numeris, & ait: quod sicut numerus est per se unum: ita & definitio, imò ibi reprehendit illos, qui numerum, unum, per aggregationem, appellat: ergo secundum Arist. numerus est unum per se, non rationis: nam aliter non esset quantitas, ergo est unum per se reale.

Secundo probatur conclusio: obiectum scientiæ realis debet esse per se unum reale: sed numerus est obiectum Arithmetice: quæ est scientia omnimodè realis: ergo, &c. maior est certa, & probatur adhuc, nulla passio potest demonstrari de subiecto, quod non sit per se unum: passio enim determinata determinatam essentiam, ac per se unam præsupponit: sed quælibet scientia demonstrat de suo subiecto passiones determinatas: ergo per essentiam determinatam, ac per se unam: minor prioris syllogismi ab omnibus conceditur: consequentia est legitima: ergo & conclusio. Ac per consequens numerus est unum per se, & non per aggregationem.

Huic argumento dupliciter ab Aduersarijs respondetur: primo, quod de ente per accidens; id est, a casu, & fortuito, non potest dari scientia: secus est, de ente per accidens; id est, ex pluribus entibus in actu constans, quale est numerus, & ita negatur maior: nam obiecta scientiarum subalternarum, ut Cosmographiæ, Musicæ, &c. entia sunt per accidens: ita multi cum Folsca tect. 5. ut supra.

Sed contra: quia Arist. sexto Metaph. cap. 2. omne ens per accidens, siue sit fortuitum, siue aggregatum quoddam, a consideratione scientifica excludit: ut optime explicat Subt. Doct. ibidem: & ratio est, quia nullum tale ens, ut sic, est diffusibile. Præterea nullum ens per accidens, ut sic, habet passiones: ergo de illo, ut sic, non potest esse scientia. Nec exempla adducta aliquid illis fauent: nam ens per accidens sumitur, vel prout dicit diuersos conceptus, vel prout unum tantum dicit, in concreto tamen; id est, significat accidens connotando subiectum, de ente per accidens primo modo non datur scientia, secundum Arist. & tale est numerus secundum istos: bene tamen de ente per accidens secundo modo: & tale est obiectum Perceptiuæ: agit enim de linea, ut connotat materiam sensibilem, seu visibilem: & sic de alijs.

Quare aliter respondetur: quod numerus a parte rei est unum per accidens: quatenus autem dependet ab intellectu numeran-



te, & ordinante unitates: sic est vnum per se rationis: quod non tollit, vt sit obiectum scientiæ realis, sicut Logica est scientia realis: licet agat de ente rationis.

Contra: quia hæc solutio Aristoteli aduersatur, qui textu Metaphy. text. 2. scientias reales ex parte obiecti, in Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam diuisit: sed sub Mathematica continetur Arithmetica: ergo numerus, qui est eius obiectum, debet esse vnum per se reale.

Præterea: nullo intellectu considerante, decem homines formalissime sunt decem: ergo intellectus numerans nihil ponit in illis: sed tantum cognoscit eos esse decem: ergo talis numerus formalis est in ipsis rebus.

4. Conclus.

Dicendum quartò. Numerus prædicamentalis est entitas absoluta realiter ab unitatibus distincta: hæc est Doctoris locis citatis: & probatur primo. Illa distinguuntur realiter, quorū vnum potest esse, alio non remanente: sed corrupto numero remanent unitates: ergo inter illas, & numerum, realis distinctio intercedit: minor experientia constat: sunt verbi gratia quatuor guttæ aquæ separatæ; tunc dicuntur quatuor quaternitate prædicamentali: cōiunguntur ergo adinuicem; tunc non dicuntur quatuor tali quaternitate: in quo casu corrumpitur numerus; & non unitates: ergo numerus ille realiter à talibus unitatibus distinguitur.

Secundò, omne accidens distinguitur realiter à suo subiecto: sed numerus est accidens; & unitates sunt eius subiectum: ergo realiter distinguitur ab illis.

Dices: illa, quæ realiter distinguuntur, possunt per Dei potentiam separari: dum modo nõ sit dependentia essentialis, vel identitas realis inter ea, sed numerus non est idem realiter, per conclusionem, nec ab illis essentialiter dependet: ergo ab inuicem separari possunt, sed hoc implicat: implicatorium enim est, dari numerum ternarium, qui non sit aliquarum unitatum numerus: & etiam implicat dari tres unitates à parte rei; quin sint tres: ergo aliquo ternario sunt tres: & de illo vltimo inquiram vsque in infinitum, vel dabitur numerus, qui ab unitatibus realiter non distinguatur, & si ille non distinguatur: ergo nullus: ergo, &c.

Respondeo: concedendo intentum primi syllogismi: nego tamen esse implicationem, & impossibile: imò Deo concedendum est posse omne accidens absolutum independens à subiecto, ab ipso subiecto separare: vt optime docet Doctor in quarto distinct. 12. quæst. secunda, & cum numerus sit accidens absolutum per se existens, optime poterit per Dei potentiam ab unitatibus separari: & tunc talis numerus separatus erit aptus ad numerandum illa, à quibus separatus fuit: & illa dicentur fundamentaliter numerate, seu formaliter: numero tamen transcendentali.

Vlt. concl.

Dicendum vltimo. Forma specifica in quolibet numero est eius quidditas in abstracto sumpta; vt ternitas in ternario: & unitas, à qua vnus dicitur, est passio, quæ ab ipsa essentia pul-

lulatur: sicut essentia hominis est humanitas: & unitas, à qua dicitur vnus, est passio, quæ ab ipsa humanitate, quatenus tale ens est, dimanat. Hæc est Doctor. vbi supra, & probatur: ab omni ente reali, in quantum tale, dimanat unitas, à qua denominatur vnum: sed quilibet numerus est ens reale: ergo ab illo dimanat unitas, à qua vnus denominatur, quæ unitas, cum non sit prædicamentalis, sed transcendentalis, non facit numerum, licet unitatibus continuorum addatur: unitas enim, vt multitudinem componat, debet esse prædicamentalis, quæ unitatiua, & eiusdem rationis.

Ad auctoritatem Aristotel. pro prima opinione adductam respondeo: quod numerus numeratus dependet ab intellectu numerante: non vero numerus formalis, vt est à parte rei; de primo loquitur Aristot. vel si loquatur de secundo; debet intelligi, non quod ille in sua entitate ab intellectu dependeat, sed in ratione mensuræ actualis, qua intellectus utitur, ad actualiter numerandum.

Ad argumenta secundæ sententiæ: ad primum, & ad auctoritates Aristotel. dico: quod intelliguntur de numero pro materiali, quatenus est subiectum discretiõnis. Vel quod intelliguntur de numero composito, ex subiecto, & ex ipsa discretiõne: sed tunc nihil contra nos, qui ponimus numerum esse vnã formã realem, positiuã, & per se vnã, in illis unitatibus, vt in proprio subiecto ad æquato subiectarum, quæ discretiua forma ponitur in rerum natura per actionem Metaphysicam ipsorum continuorum: positus enim ab aliquo agente decem quantis in rerum natura, statim ab illis resultat discretio denaria, quæ est vnã per se forma, non Physicæ, sed Metaphysicæ, composita, realis, & ab ipsis realiter distincta.

Ad secundum nego minorem: nam licet quælibet unitas secundum se considerata sit per se fundamentaliter ab alia discreta, ac distincta, nulloque communi termino copulata alijs; tamen, vt quælibet est inadæquatum subiectum numeri, & concurret ad constituendum vnum adæquatum; aliter se habent omnes: nam quælibet in tali toto induit rationem partis respectu aliarum: & vltra denominatur formaliter discreta, & numerata, quod antea non habebat.

Ad tertium nego minorem: nam septimo lapide addito sex priores mutantur de subiecto ad æquato senarij ad esse subiectum inadæquatum septenarij: & ita amittunt formã realem, quam antea habebant: est enim illa vltima unitas adueniens, veluti vltima dispositio subiecti, ad introducendam formã numeri, qua posita, ponitur forma, & qua ablata, aufertur: nam accidentia ita à subiectis naturaliter dependent, vt ad illorum variationem variantur: quod maxime est verum de numero: vt not. 2. diximus.

Ad quartum patet ex dictis: nam hoc est propriū numeri esse in pluribus subiectis inadæquatis, tanquam in vno adæquato.

Ad quintum distingo se quællam: ex duobus binarijs resultat numerus prædicamentalis: nego

Ad argu. 1. Sentent.

Ad primū. pro 2. sent.

Ad secundum.

Ad tertium.

Ad quartum.

Ad quintum.

go sequellam: numerus transcendentalis: concedo, sed talis numerus non est vnum per se discretum de quo loquimur: sed vnã per aggregationem: sicut de qualibet multitudine dicimus. Vel dicitur: quod ex duobus binarijs non resultat tertius binarius: sed ipse binarius, quo numeramus res aliorum prædicamentorum, est ratio numerandi se ipsum: & ipse materialiter sumptus est numeratus à se ipso pro formali capto: sicut quantitas à se ipsa est extenta.

Ad sextum

Ad sextum nego antecedens: nam unitas prædicamentalis est aliquid positiuum: & ita ex ipsa, & in ipsa, discretio positiuã resultat, & subiectari potest.

Ad fundam. 3. Sentent.

Ad primum fundamentum tertie sententiæ dico: quod procedit ex falsa imaginatione: existimat enim unitates esse partes numeri formalis, & ipsum numerum ex illis, veluti ex materia, & forma, componi; quod falsum est: cum tantum sint numeri subiectum: vt diximus.

Ad secundum.

Ad secundum patet ex solutione ad tertium pro secunda sententiã: nam illa unitas vltima est veluti vltima dispositio ex parte subiecti recipientis formam numeri: & ideo solum materialiter subiectiue dicitur concurrere ad numeri constitutionem, non vero formaliter quidditatiue. Quare illa maior est absolute falsa: vt patet in termino respectu relationis: quo positus, ponitur & quo ablato, aufertur; & tamen non est de essentia relationis: & per hoc ad tertium fit satis.

ARTIC. III.

An oratio sit vera species quantitatis discreta?

1. Sentent.

ORATIONEM nullo modo esse quantitatem nec in ratione extensionis, nec in ratione mensuræ, tenent Fonseca, & Suarez, & alij Artic. præcedente citati, qui hoc de numero negantes, consequenter idem de Oratione affirmant: quæ quidem sententiã argumentis à Doctore factis probari potest: & præterea probatur: tunc ex Arist. qui quinto Metaphys. com. 8. Orationem inter species huius Prædicamenti non numerauit: tunc ex Doct. hic, s. ad secundum quæsitum, dicente: partes orationis ad nullum communem terminum copulantur: quælibet enim syllaba est ab alia diuisa: ergo sentit Doctor syllabam esse partem orationis: sed ex syllabis tantum vnũ per aggregationem conflat: ergo tale est oratio: ergo, &c. tunc etiam, quia concentus, & modulatio vocum, in quo Oratio consistit, est ens rationis, ex hominum beneplacito dependens: ergo.

2. Sentent.

Secunda sententiã affirmat, Orationem esse quantitatem proprie in ratione mensuræ: non tamen in ratione extensionis: ita D. Thom. Opuscul. 48. cap. 2. & secundo de Anima lect. 18. Flandria, & Araujo quinto Metaph. Caietanus, & Soto cap. de Quantitate, & probatur: quia spe-

Argumen.

cies quantitatis, in ratione extensionis, nequit constitui nisi per specialem extensionem, siue magnitudinem: propterea enim locus, & tempus, nõ sunt species quantitatis in ratione extensionis: quia nec locus habet distinctam extensionem à superficie corporis ambientis, neque tempus gaudet propria extensione: sed per extensionem sui subiecti, secundario; & per accidens, extenditur: sed in oratione; cum sit motus quiddam, nulla specialis extensio reperitur: cum nullus motus propria afficiatur quantitate: sed per quantitatem sui subiecti, secundario; & per accidens, extendatur: igitur oratio nequit esse species quantitatis in ratione extensionis.

3. Sentent. Doctoris.

Tertia sententiã est Doctoris in præsentia asserens orationem tam quoad extensionem, quã quoad mensuram, esse veram speciem quantitatis discretæ: pro qua notandum primo: quod oratio multipliciter accipitur: primo à Theologis: & est eleuatio mentis in Deum. Secundo sumitur pro quacunque locutione exteriori significatiua, siue sit complexa, siue incomplexa: & vti sic adhuc est multiplex alia Grammatica, alia Logica, alia Poetica: & alia Rhetorica, quæ proprie orationis nomen sibi usurpat: ideo Ars oratoria dicitur: & de istis omnibus orationibus non agimus in præsentia: cū vt sic, sint entia rationis, nec etiam loquimur de mentalibus, & scriptis, illis correspondentibus: quia istæ sunt entia permanentis: & ille sunt quantitatis expertes. Tandem sumitur oratio pro quadam discretiõne pluribus vocibus successiue prolatis adueniente: quæ proprie concentus, vocum Harmonia, & numerus sonorus appellatur. Vnde sicut numerus potest, vel secundum se, vel prout in materia intelligibili, considerari: & primo modo ad Metaphysicum spectat: & secundo modo est Arithmetice obiectum: sic oratio secundum se considerata ad Metaphysicum pertinet: & de illa, vt sic, Aristoteles in hoc cap. agit: si vero sumatur, prout in numeris fundatur, tunc est obiectum Musicae, ad quam omnes concentus sonorum illitteratorum, & cuiusvis instrumenti musici, redduntur: & de oratione, seu concentu vocum, inquirimus in præsentia: an sit quantitas discreta proprie, & vere.

1. Notan.

2. Notan.

Secundo notandum: quod ad formationem vocis, quæ est orationis subiectum, multa requiruntur (omitto nouem instrumenta hoc distincto contenta: Instrumenta nouem sunt: guttur; lingua, palatum, & quatuor dentes, & duo labia simul. Vbi in gutture intelligitur Pulmo, & Arteria vocalis.) Requiritur enim primo aer per Arteriam ad Pulmonem delatus; cuius aeris percussione facta, à lingua contra palatum, causatur vox. Requiritur secundo, ipsa aeris attractio per Arteriam ad Pulmonem; & ipsius reuerberatio, percussio, seu motio actiua: attractio deseruit, vt aer refrigeret Pulmonem, in quo est maximus calor propter intimam conjunctionem ad cor, quod est principium caloris: & ita, Pulmone refrigerato refrigeratur cor: ideo enim dicitur flauellum cordis: reuerberatio; percussio, & motio actiua, est actio causatiua, cuius terminus est percussio passiva.